

## ET SALES METALLICI. 135

*Usus internus* : Morbi spasmodici.—Sulfas zinci duas sui ponderis partes aquæ frigidæ ad sui solutionem requirit. Hujus solutionis saturatæ cochleare parvulum mane et vesperi exhibitum in pertussi epidemica Londinensi 1787 efficax inventum fuit remedium. *Externus forma lotionis, injectionis etc.* : Ophthalmia; ulcus corneæ; aphthæ; ulcera; blennorrhœa; cynanche mucosa; varix ani; odontalgia, denti carioso imponendo.

*Dosis interne* : Granum unum - sex - octo.  
—*Externe* : Granum unum - decem in uncia una vel duabus aquæ destillatæ.

---

## SULFURETA ALCALINA.

Corpora ex sulphure et sale alcalino, vel calce composita.

### SULFURETUM CALCIS.

*SYN.* *Hepar sulphuris calcareum*; *hepar calcis*; *sulfuretum calcareum*; *calcaria sulphurata*. Ph. B.

℞. Calcis pulverisatæ uncias duas.

Sulphuris unciam unam.

Mixtis sensim affunde,

Aquæ fervidæ uncias sedecim.

Leni igne, continuo agitando, evaporent ad siccitatem. Massam siccam in vase vitreo clauso usui serva.

*Vel:*

℞. Sulphuris,

Calcis pulv. ana partes æquales.

Simul in crucibulo funde, et massam adhuc modice calidam vasi vitreo immitte, quod probe clausum usui serva.

USUS: Ptyalismus aliive morbi ex hydrargyro; morbi rheumatici et arthritici; phthisis; diabetes; psora aliive morbi cutanei.

DOSIS: Grana triginta bis terve de die, superbibendo limonadam aut liquidum aliud acidulatum.

### SULFURETUM CALCIS STIBIATUM.

SYN. *Calx antimonii cum sulphure; calx*

*antimonii sulfurata; calcaria sulphurato-stibiata. Ph. B.*

℞. Calcis pulv. libram unam semis.

Oxydi stibii hydrosulfurati lutei libram semis,

Invicem tritis sensim adde,

Aquæ fervidæ libras duodecim.

In vase vitreo vel ferreo, sub continua agitatione, leni calore evapora ad siccitatem, et pulverem ex albido-flavescentem in vase vitreo clauso usui serva.

*Usus internus et externus (in balneo):*

Morbi cutis rebelles; morbi arthritici; physconia abdominalis.

*Dosis pro usu interno:* Pulveris grana decem bis terve de die, superbibendo haustum aquæ. — *Vel libra una solutionis aquosæ quotidie; coquendo drachmam unam hujus pulveris cum libris quinque aquæ ad colaturam librarum quatuor.*

SULFURETUM POTASSÆ VEL SODÆ.

*SYN. Hepar sulphuris; hepar sulphuris sa-*

*linum s. alcalinum; kali sulphuratum. Ph. B.*

℞. Sulphuris uncias sex.

Carbonatis potassæ uncias duodecim.

Mixta in crucibulo amplo tecto leni igne funde, ut in massam coëant, quam in tabulam lapideam aut in laminam æneam, oleo fixo illitam, effunde, et frigefactam mox vasi vitreo immitte, quod probe clausum usui conserva.

Usus internus : Per se vel in aqua soluti, idem ac sulfureti calcis.— Item ad aquas minerales sulfureas arte parandas— et ad parandum sulphur præcipitatum.

Dosis : Grana viginti—triginta, sæpius de die.

SULFURETUM POTASSÆ  
STIBIATUM.

SYN. *Hepar sulphuris antimoniatum.*

℞. Sulfureti stibii nigri pulv.

Potassæ ana partes æquales.

In crucibulo leni igne simul funde ; dein frigefacta in vase probe clauso usui serva.

VIRTUS et USUS idem ac sulfureti calcis stibiati.

### HYDROSULFURETUM AMMONIACÆ.

SYN. *Hepar sulphuris volatile.*

℞. Sulfureti ferri (*vulgo pyritis ferri nativæ*)  
pulv. quantum placet.

Immitte in retortam vitream tubulatam, collo recurvato instructam, ac luto probe junctam cum excipulo amplo in aqua gelida locato, et ad unam tertiam partem ammoniaca repleto. Apparatu sic instructo adde per tubulum retortæ,

Acidi muriatici quantum opus,

Ut gaz hydrogenium extricetur, quod per ammoniacam transire cogitur tamdiu, donec gaze saturata fuerit, aut ejusdem nihil amplius suscipere valeat.—Liquor sic obtentus est Hydrosulfuretum ammoniacæ, quod vase probe clauso usui servetur.

*NB.* Sulfuretum ferri pro hoc processu facile arte paratur, igniando frustum ferri ad incandescentiam, illudque tunc probe inungendo sulphure. Globuli inde defluentes in vase aqua repleto collecti, et dein pulverisati usui serventur.

Parari etiam potest methodo sequenti :

℞. Sulfureti potassæ quantum placet.

Aquæ quantum sufficit.

Coque leniter in retorta vitrea, luto probe cum apparatu *Woulfiano* juncta, cujus excipula in aqua gelida immersa contineant portionem ammoniacæ. Gaz transiens per ammoniacam, hoc modo frigefactam, eandem in hydrosulfuretum ammoniacæ vertit.

Usus : Irritabilitas corporis ex usu hydrargyri aliisve causis orta; phthisis; diabetes.

Dosis *adulto* : Guttæ tres — quatuor initio, augendo gradatim donec vertiginem levem inducat.